Cod. CIV, alias XVIII. in-fol. magno, membranaceus, folior. 181, characteribus longobardis sæculi XI, nisi etiam fortasse sæculi X, cum valde simillimi videantur iis qui sub Aligerno abbate, scripti fuere. Sedit autem Aligernus in Cassinensi Cathedra ab anno 945 ad annum 996. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CV, alias XIX, in-fol. membranaceus, folior. 272, characteribus longobardis sæculi XI post medium. Continet Homiliarium de Tempore.

Cod. CVI, alias XCI, in-fol. membranaceus, folior. 389, characteribus longobardis sæculi XI, ac proprie anni 1010. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CVII, alias CXXV, in-fol. membranaceus, folior. 182, characteribus longobardis sæculi XI. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CVIII, alias XX, in-fol. magno, membranaceus, folior. 285, characteribus longobardis sæculi XI post medium. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CIX, alias XXV, in-fol. magno, membranaceus, folior. 248, characteribus longobardis XI sæculi. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CX, alias XXXVIII, in-fol. maximo, membranaceus, folior. 308, characteribus longobardis sæculi XI, ut confirmatur a Gattula in indice MMS. cassinensium, p. 3. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CXI, alias XXXVII, in-fol. maximo. folior, 210, characteribus longobardis sæculi XI. Continet Homiliarium cum aliquibus homiliis non vulgatis.

Cod. CXII, alias XCIII, in-fol. membranaceus, folior. 179, characteribus longobardis sæculi X ineuntis, tempore Theobaldi abbatis, ut ex characteribus ipsis facile erui posse videtur. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CXIII, alias LXX, in-fol. membranaceus, folior. 227, characteribus longobardis sæculi XI. Continet diversas de sancta Quadragesima Homilias.

Cod. CXIV, alias LXV, in-fol. membranaceus, folior. 112, characteribus longobardis XI sæculi ad initium. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CXV. alias LXVI, in-fol. membranaceus, folior. 188, characteribus longobardis sæculi XI, cum litteris majusculis, seu initialibus sane pulcherrimis, sed quarum plures abruptæ sunt. Continet Sermones sancti Augustini.

Hi sunt Codices, antiquitate venerabiles, ex quibus assumpti fuerunt sermones qui nunc in publicum emittuntur. Ut autem clarius adhuc pateat sacra illorum vetustas, aliquorum hic delineatam imaginem annectimus.

ADDENDA

VITÆ SANCTI AUGUSTINI

A POSSIDIO EXARATÆ.

Fragmentum hoc e codice cass. CXLII, *fol.* 136, *extractum, finem vitæ sancti Augustini aliter ac in editis repræsentat. Quæ diversis ad ultimum excusa fuerunt characteribus, manu recentiori adjecta videntur. Vide editionis Maurinensis, tom.* X, *fol.* 280.

(Post hæc verba capitis XXXI : *Sana fide in Ecclesia prædicavit;* hæc aliunde translata leguntur :)

Sed ne, ut supra tetigimus, Civitatis suæ ruinam videret, tertio obsidionis mense migravit ad Dominum, quinto kalendas septembris, cum vixisset annos septuaginta-sex, in clericatu autem vel episcopatu annos ferme quadraginta.

(Post hæc legitur caput XXVIII integrum hic transpositum. Deinde sequitur :)

Vir denique ipse debellator hæreticorum, defensor fidelium, et famosorum palma certaminum, in quibusdam libris nimia difficultate reconditus, in quibusdam sic

est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus. Cujus aperta suavia sunt, obscura vero magnis utilitatibus farcita pinguescunt. Hujus autem ingenii vivacitatem si quis nosse desiderat, libros ipsius Confessionum legat, ubi se refert omnes mathematicas disciplinas sine magistro comprehendisse, quas aliis sub doctis expositoribus (vix datur comprehendere [1]). Fertur itaque quod Marcus Terentius Varro apud Latinos innumerabiles scripsit libros; apud Græcos Calciodorus miris in scribendo attollitur laudibus. De nostris utique apud Græcos Origenes ad sex millia legitur libros scripsisse; horum denique studium Augustinus noster ingenio vel scientia sua vicit. Nam tanta privatim dictando tantaque in Ecclesia diversisque locis disputando conscripsit, ut vix quisquam studiosorum diebus et noctibus non solum scribere libros ejus, sed nec legendo nosse occurrit. De quo quidam catholicus Doctor quasi cum ipso loqueretur, testificans sic ait :

Mentitur qui te totum legisse fatetur.

Iste vero in sancta Ecclesia inter nos post mortem vivens, nobiscum loquitur semper juxta cujusdam gentilis poëtæ gramma, quod suo scribere jussit sepulcro, hoc modo dicens :

Vivere post obitum vatem vis nosse viator?
Quod legis ecce loquor; vox tua nempe mea est.

Hic dum in Hipponensi sepultus est regione, propter immunditiam et crudelitatem gentilium, inde ablatus in Sardinia repositus est.

Decurrentibus itaque a die obitus ejus ferme ducentis octoginta annis usque ad tempora Liutprandi regis Longobardorum, audiens idem rex quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, ubi ossa sæpe dicti Patris ob vastationem barbarorum olim

[1] Vide tom. x, cap. xviii, p. 270. Append. Hæc verba ansulis circumscripta desunt in Codice, sed sensu requiri videntur.

translata et honorifice condita fuerant, misit, et dato magno pretio accepit et transtulit ea Ticinum. Quæ utique ossa in basilica beati Petri apostoli, quæ a ticinensi populo Cœlum-Aureum nuncupatur, cum debito tanti Patris honore recondidit. Jure igitur in apostolica est collocatus ecclesia, qui pro apostolica dimicans fide, vivens verbis, et hactenus scriptis, diabolicas hæreticorum fraudes patefaciendo disperdidit; adjuvante Domino nostro Jesu Christo, fidei nostræ auctore, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivens regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.